Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26114
Copyright: Admont, Benediktinerstift

pedes et si non lacrimas: non illo obsequio prosecutus est quo illa mulier:
que noverat quod sanaret: et a quo sanaretur. O pharisee ideo parum diligis
dimitti suspicaris: non quia parum dimittitur sed quia parum putas esse quod
dimittitur. Quid ergo inquit ille ego qui homicidium non feci. homicida de
putandus sum. aut ista mihi dimittenda sunt. que non commisi. Ecce
iterum constitue duos: et loquamur ad vos. Venit unus simplex peccator
coopertus spiritus tamquam ericius. et nimis timidus tamquam lepus: sed petra
est refugium ericiis. et leporibus. Venit ergo ad petram. invenit refugium:
accepit auxilium. Alius non multa commisit: quid ei faciemus ut multum
diligat. Quid persuadebimus contra verba domini venimus: cui modicum di
mittitur. Sed o tu qui dicis te multa commisisse: quare corrigo te.
Deo gratias quod motu et voce vestra intellexisse vos significastis. Iam ut video
soluta questio est. Hic multa commisit. et multorum debitor factus est. ille
gubernante deo pauca commisit. Cui deputat ille quod dimisit: huic
et iste deputat quod non commisit. Adulter non fuisti in illa tua vita prete
rita plena ignorantia. nondum illuminatus. nondum bonum malumque dis
cernens. nondum credens in illum qui te nesciente regeret. Hoc tibi dicit deus
tuus. Regebam te mihi. servabam te mihi: ut adulterium non committeres.
Suasor defuit: et ut suasor deesset ego feci. Locus et tempus defuit: et ut
hec deessent. ego feci. Affuit suasor. non defuit tempus: ut non consen
tires ego terrui. Agnosce ergo gratiam eius cui debes et quod non admisisti.
Michi debet iste quod factum est. et dimissum vidisti. mihi debes et tu quod fecis
ti. Nullum est enim peccatum quod fecit homo. quod non possit facere alter homo: si
desit rector a quo factus est homo. Iam nunc quantum potuimus questionem profun
dam in tantilla temporis brevitate solvimus. At si non solvimus: debitore